



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Falconatii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

CURIATI JUNIORES. CAP. XXV.

Contra vero in nigra parma luteus erat Serpens eodem circumductus modo, & ipse curtus, orbiculo quodam cæruleo inter caput & incisionem collocato: umbilicus ad angulos rectos decussatus, partes duas adversis angulis oppositas albas, duas cæruleas habebat. Gestabant hoc Curiatii juniores, sub eodem Magistro equitum militantes.

MAURIALITES. CAP. XXVI.

At dimidii duo, seque invicem inspectantes albi coloris in parma viridi, quam margo ruber ambibat, eorum erat gestamen, qui sub eodem Magistro equitum Maurialites appellabantur. Huius quoque parmae umbilicus decussatus erat transversis lineis, cujus duæ oppositæ partes albae, adversæ cæruleæ.

PRÆFECTUS FABRICÆ. CAP. XXVII

Præterea sex illa insignia, quorum superius mentionem fecimus, præfectus Fabricæ septem alios ordines ducebat totidem gestaminibus insignes: in quorum uno Serpens luteus dimidia sua parte conspicuus, capite truncique parte cæsa in lævam versis, parma cærulea. Inter Serpentis caput atque segmentum orbiculus erat luteus, umbilicus quoque in obliquum decussatus, partim aureus, partim argenteus erat.

DEFENSORES. CAP. XXVIII.

Duos vero Angues in caducei speciem implicatos, capitibus ad osculum coeuntibus, in parma cærulea, quam ruber ambitus late circuibat juxta marginem, illi gestare, soliti sunt, qui Defensores vocabantur. Horum præfectus erat illustris vir, militum Præfentialis nuncupatus.

SEXTA PARTHICA. CAP. XXIX.

Integer etiam caduceus, hoc est, totis expressis Anguibus, iisque una cum baculo, luteis, in parma cærulea, cujus marginem purpureus circulus ambibat, insigne erat legionis ejus, quæ Sexta Parthica vocabatur. Militabat sub Magistro militum per Orientem.

ANGLEVARI. CAP. XXX.

Sub militum autem Præfentiali Anglevarii erant, quorum insigne fuit caduceus ruber, in baculo cujus summitate pila erat, unde Angues prorumpabant, & ad osculum juxta parmae medium adhaerebant. Parma erat sapphinei coloris, at dilutioris, quam purpureus ambitus circuibat.

CORNUTI. CAP. XXXI.

At sub Magistro militum Præfentiali (alia hæc erat præfectura) Cornuti merebant, quorum gestamen erat parma tota lutea, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in medio cujus Angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam idemtidem rubro emissi ad osculum incurvabantur. In cippi medio ancile parvum erat colore per pictum luteo, duabus in mediis nigris lineis, à dextera ad lævam in parallelum dissecantibus, in superiore cujus parte T. centurionis signum notatum erat: de quo alibi diximus.

FALCONARI. CAP. XXXII.

In eadem Magistri militum Præfentialis militia, gestamen erat in parma tota purpurea, Angues duo cærulei, colore tamen dilutiore, binæ utrique aures acutæ, longèq; surrectæ. Hi non baculo sed lato cuidam pedamento committebantur (liceat ita columellam appellare, quæ sustinebat Angues) unde mox in superiorem caducei partem curvabantur: fulcrum illud lato spatio binas hinc inde plicas acutis angulis porrigebat. Medium huius spatii umbilicus aureus occupabat: quid præferant, Milites Falconarii nuncupabantur.

VINDICES. CAP. XXXIII.

Is proximi erant & ordine & præfectura vocati Vindices, qui cæruleas Mori instar colubras in caducei morem flexas, pro insigni habebant in parma tota lutea, ubi angues pedamento committebantur appliciti coalitiq; aureus erat umbilicus.

SAGITTARII NERVII. CAP. XXXIV.

Ducebat & Magister peditum ordines aliquot caduceis insignes, ex quibus præcipue erant Sagittarii Nervii, qui dimidio utebantur caduceo quorum scilicet parma coloris erat prasini, rubro